Hieronymo. dicit ꝙ princeps regni perſarũ
bonus angelus fuit cuſtodie illius regni de
putatus. Ad intelligendũ ergo qualiter vnꝰ
angelus alteri reſiſtere dicitur. Notandum
ſm tho. vbi. ſ. ꝙ diuina iudicia circa diuer=
ſa regna et diuerſos homines ꝑ angelos ex=
ercent. In ſuis autẽ actionibus ſm diuinã
ſententiã regulantur. Cõtingit quãdoqꝫ ꝙ
in diuerſis regnis vel in diuerſis hominibꝫ
contraria merita vel demerita inueniunt: vt
vnus alteri ſubdatur aut preſit. Quid autẽ
ſuper hoc ordo diuine ſapiẽtie exigat cogno
ſcere nõ poſſunt: niſi deo reuelãte. Unde ne=
ceſſe habent ſuper his ſapientiã dei cõſulere
Sic igitur inquantũ de cõtrarijs meritis et
ſibi repugnantibus cõſulunt diuinã volun=
tatem. Reſiſtere ſibi inuicẽ dicũtur: nõ quia
ſint eorum cõtrarie voluntates: cum in hoc
omnes cõcordent ꝙ dei ſententia impleatur
Sed quia ea de quibus cõſulunt ſunt repu=
gnantia. Cum ergo archangelus cuſtos re=
gni perſarum ꝓcuraret q̃tum in eo erat ſalu
tem illorũ qui erant in dicto regno: videretqꝫ
ꝙ ex cõuerſione iudeorum multi de perſis
cõuertebantur: erat cõtentus ꝙ populus ille
in captiuitate ꝑſeueraret. Alter vero qui pͥſi=
debat populo iudeorum illius populi libera=
tionem ꝓcurabat: preceſqꝫ Danielis preſen=
tabat deo: omnes tamẽ dei voluntatẽ imple
ri volebant. ¶ Tercium dubium erat vtrum
angeli doleant de malis eorũ quos cuſtodi=
unt. Ad quod reſpondet Tho. vbi. ſ. ꝙ an=
geli non dolent nec de peccatis nec de penis
hominũ: quoniã cum ſint ꝑfecte beati dolor
in eis eſſe nõ poteſt. Inſuꝑ vt inquit Augꝰ.
Dolor eſt de his que cõtrariantur voluntati
Nihil autem accidit in mundo quod ſit cõ=
trarium voluntati angelorũ et aliorum bea=
torum: quia voluntas eorum totaliter inhe=
ret ordini diuine iuſticie. Nihil autem fit in
mundo niſi qḋ per diuinam iuſticiam fit aut
permittitur. Et ideo ſimpliciter loquẽdo ni
hil fit in mundo cõtra voluntatẽ beatorum
vt enim phus dicit in. iij. ethicorum. Illud di=
citur ſimpliciter voluntariũ qḋ aliquis vult
in particulari ſm ꝙ agitur: cõſideratis. ſ. oĩ=
bus que circumſtant: q̃uis in vniuerſali cõ
ſideratũ nõ eſſet voluntariũ. Sicut nauta nõ
vult abſolute ꝓiectionẽ merciũ in mari ⁊ vni
uerſaliter cõſiderando: ſed imminente ꝑicu=
lo ſalutis hoc vult vnde magis eſt hoc volũ
tariũ q̃ inuoluntariũ. Sic ergo angeli pec=
cata et penas hominũ vniuerſaliter et abſo=
lute loquendo nõ volunt: volunt tñ ꝙ circa
hoc ordo diuine iuſticie ſeruet ſm quẽ qui=
dam penis ſubdunt et peccare ꝑmittuntur.
Sed orit hic difficultas ex verbis Eſaie ca.
xxxiij. dicẽtis. Angeli pacis amare flebant.
Quã ſoluit tho. aſſerẽs ꝙ verba illa triplici
ter poſſunt intelligi. Uno mõ ſm ſenſum lit
teralẽ: et ſic angeli dicunt nuncij Ezechie q̇
fleuerunt ꝓpter verba blaſphema rabſacis.
Alio mõ ſm ſenſum allegoricũ et ſic angeli
pacis ſunt apl̃i ⁊ alij p̃dicatores q̇ flent ꝓ pec
catis hoĩm. Tercio ſm ſenſum anagogicũ: ⁊
ſic intelligũt angeli beati. Locutio tñ eſt me=
thaphorica ꝑ quã deſignat ꝙ ipi volunt in
vniuerſali hoĩm ſalutẽ vt iã eſt predictũ. Ex
his oĩbus deprehendere poſſumꝰ quãta ſit
erga hoĩes dei pietas q̃ta largitas: quãta ue
eiꝰ clemẽtia: dũ dignat ꝑ angelos ſuos nos
ad patriã ſuꝑnã deducere: in q̃libet etate nõ
ceſſant angeli cõmodis nr̃is adeſſe: nunc in=
feſtiſſimos hoſtes ne nobis noceant debellã
do: nunc ad bene viuendũ nos alliciẽdo: nũc
a malis retrahendo: nũc ab innumeris ꝑicu
lis liberãdo. Et tñ nos illis p̃ntibꝫ nõ erube
ſcimus demonũ praua ꝯſilia: turpeſqꝫ ſugge
ſtiones implere: gerere vitã pecudũ: ac oĩ co
natu ad religiones tartareas ꝓperare. O aĩa
ſordida. O aĩa tot ignominioſiſſimis vicijs
fedata. Aperi oculos mẽtis ⁊ vide angelũ ſꝑ
tibi aſſiſtentem in quouis angulo: in q̃uis di
uerſorio: in quouis exercitio. Exhibe illi re
uerentiã ⁊ a flagicijs deſine cõſuetis: vſqꝫ ad
mortẽ cõmorabit tecũ: vt ſic appareat ſi te no
lueris corrigere ꝙ pater oĩm deus iuſto iu=
dicio impenitẽtes ⁊ obſtinatos a ꝯſortio ſan
ctorũ et viſione ſua priuatos ꝓijcit in ignẽ
eternũ. Curemꝰ igit demonũ abhorrere cõ
ſortia atqꝫ angelorum ſocietatẽ oĩ affectu deſide
rare vt ſic digni efficiamur gr̃a xp̃i: qua me=
diante angelorum choris mereamur adiũgi in
illo felici regno in quo deus viuit ꝑ infinita
ſecula ſeculorum. Amen.

¶ Sermo trigeſimuſprimus de ſancto Jo
hanne baptiſta p̃curſori dñi nr̃i ieſu xp̃i.

INter natos mu=
lierũ nõ ſurrexit maior Johanne
baptiſta. Uerba ſunt redempto=
ris nr̃i originaliter Mathei. xi. ca. Sicut
ſol in lumine reliquos planetas excedit: ita
laus Johãnis baptiſte poſt xp̃m et virginẽ
mr̃em aliorum ſanctorum p̃conia ſuꝑat. Nã neqꝫ
in veteri neqꝫ ĩ nouo teſtamẽto inuentꝰ eſt ali
quis quacũqꝫ ſanctitate ⁊ p̃eminentia fulgẽs
q̇ Johãni baptiſte valeat ꝯparari. Quecũqꝫ
de ipo dicunt admirãdis p̃rogatiuis ornant
atqꝫ ex omni parte in ipo videt ſupereffluere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gratia dei. Hoc nomē eius exprimit: qꝛ Johannes in q̄ eſt gratia interpretat̄. Ut aūt harum rerū noticiā habeamus in p̄nti ſermone de magnificentijs Johannis baptiſte merito diſſeremus quo teſte ſaluatore nullus maioꝛ ſurrexit. Qd̄ vtiq̄ȝ intelligendū eſt de magnitudine virtutis. Nam vt inquit Alex. de ales in. iij. ſumme. Et tho. i. pte. q. xlij. Maius et minus in formis ſpiritualibꝰ nō dicit̄ ſicut in formis corporalibꝰ. Scd̄m eni Augusti. in li. de quātitate aīe. in formis corporalibꝰ dr̄ aliq̄d maius vel minꝰ ſ̄m q̄titatem molis vel dimenſiuā: qꝛ ſunt materiales. In formis vero ſpūalibꝰ iſta dicunt̄ ſ̄m q̄titatē virtualē. Unde ipſe Augꝰ. in. vi. de trini. ait. In his q̄ nō mole magna ſunt: hoc eſt maiꝰ eſſe qd̄ eſt meliꝰ eſſe. Melius aūt dr̄ qd̄ eſt pfectius. Sicq̄ȝ Johānes nō fuit ceteris maioꝛ ſ̄m ſtaturā corpis. cū in hoc ſibi pleriq̄ȝ pſtent. Sicut fuit Og rex baſan. de q̄ ſcribit̄ Deutro. ij. et. iij. ca. ꝙ monſtrat̄ lectus eiꝰ ferreus nouē cubitos habens. Et Golias q̄ vt ponit̄. i. Re. xv. ca. erat altitudinis ſex cubitorū et palmo. Et gigantes alij multi. Fuit ergo magnus pfectione virtutis ⁊ gratie: de quo tria myſteria ꝓponimus cōtemplanda.

Primū dicit̄ natiuitatis.
Secundū ſanctitatis.
Terciū ſublimitatis.

De quinq̄ȝ excellentijs natiuitatis Johānis baptiſte. Capitulū. i.

Primū myſteriū cōtemplandū de Johāne baptiſta dr̄ natiuitatis. Fuit quidem natiuitas eius digniſſima et ſingularis p̄cipue ꝓpter quinq̄ȝ excellentias.

Prima dicit̄ angelica nunciatio.
Secunda paterna pcuſſio.
Tercia miraculoſa generatio.
Quarta iocunda parturitio.
Quinta ſancta noīatio.

Prima excellētia natiuitatis Johānis dr̄ angelica nunciatio. Fuit nāq̄ȝ ab angelo annunciata patri ſuo zacharie exiſtenti in loco ſacro. i. in templo ⁊ in rebus ſacris occupato ad denotandū ſanctitatē futurā ꝓlis vt dicit Nico. de lira. Erat aūt Zacharias ſacerdos vt ſcribit̄ Luce. i. ca. et forte exijt vt incenſuȝ poneret. Nā vt habet̄. i. Paralipo. xxiiij. ca. Dauid volens ampliare cultū dei. xxiiij. ſacerdotes inſtituit quoꝝ vnus maioꝛ erat qui dicebat̄ p̄nceps ſacerdotū. Et hi ſucceſſiue p ebdomadas ſeruiebāt in tēplo dn̄i. Sȝ vtrū zacharias fuit pontifex vel ſummꝰ ſacerdos apud nōnullos vertit̄ ī dubiū. Nā Ambro. et Beda ſup Lucā vident̄ dicere ꝙ ſic: eo ꝙ incenſum ponere ſemel in anno intra ſanctū ſanctoꝝ. ſ. in feſto expiatōnis ſoli ſummo ſacerdoti erat licitū. Et tēpus cōceptionis p̄curſoris videt̄ cōcordare: qꝛ feſtū expiatōis celebrat̄ decima die ſeptembris: et poſt illud fuit cōceptio Johānis circa finē eiuſdē menſis: reuerſo zacharia ad domū ſuā poſt cōpletionē ſui officij. Et ſic ab illo tpe vſq̄ȝ ad natiuitatē beati Johānis fluxerūt nouē mēſes qui cōtinent periodum a cōceptione vſq̄ȝ ad ad natiuitatē. Addūt alij ad declarationem p̄fate opinionis ꝙ. xxiiij. ſacerdotes predicti erant equales in ordine ac etiā dignitate: nō tn̄ ſimul ſed ſucceſſiue: qꝛ ille in cuius ebdomada feſtū expiationis cadebat erat ſummꝰ ſacerdos toto illo anno. Et ad hoc cōfirmādum inducūt illud qd̄ dicit̄ Johis. xi. ca. ꝙ Cayphas erat pontifex anni illius. Zacharias ergo fuit ſummꝰ ſacerdos illo anno eo ꝙ predictū feſtū cecidit in ebdomada ipius. Sed vt dicit Nico. de lira qꝛ nulla ſcriptura autentica: nec Joſephus nec alij deſcribētes ſacerdotiū iudeorum mentionē faciūt de ſummo ſacerdotio huius zacharie. Ideo ſaluo meliori iudicio videtur melius dicendū eum fuiſſe ſimplicē ſacerdotē: tum quia ingreſſus fuit templū ad ponenduȝ incenſum tantū quod licitū erat minoribus ſacerdotibus vt dicitur ad Hebre. ix. ca. Tum qꝛ angelus apparuit ei ſtans a dextris altaris incenſi: quod ſ̄m Hiero. nō erat intra ſanctum ſanctoꝝ: ad quod intrare erat officium ſummi ſacerdotis. Et illud quod dicit̄ de. xxiiij. ſacerdotibus: ꝙ ille erat ſummus ſacerdos et pontifex per annū in cuius ebdomada cadebat expiationis feſtum videt̄ eſſe ficticiū. Tum quia hoc in nulla ſcriptura autentica inuenitur. Tum qꝛ ſummus ſacerdos nō poſſidebat per annū tantū ſed per totā vitā ſuā. Et ita cōmuniter factū eſt vſq̄ȝ ad tps Machabeoꝝ. in quo greci obtinuerūt dominiū ſuper iudeos. Et tunc ex cupiditate grecoꝝ et ambitione iudeoꝝ aliqui fuerūt amoti de ſacerdotio ante mortē ⁊ alij inſtituti. Sicut patet. ij. Machabeoꝝ. iiij. c. de Jaſone: Menelao et Liſimacho. Et. xiiij. ca. de Alchimo. Et eodē modo poſtea factū eſt qn̄ romani ceperūt iudeis dn̄ari: qꝛ tūc erat venale ſacerdotiū. Unde dicit Joſephꝰ ꝙ Cayphas emit ſacerdotiū vnius anni. Potuit etiā eſſe ꝙ iudei inter ſe ordinauerūt ꝓpter iſtas ꝯtentiones ⁊ ambitiones ꝙ ſacerdotiū vnius duraret tm̄ p annū. Et ſic ꝯcludit̄ ꝙ zacharias nō fuit pontifex vel ſummus ſacerdos. Ambro. vero ⁊ Beda dixerūt ꝯtrariū nō aſſerēdo ſȝ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

opinando. Nihilominus Hiero. in ep̄la ad
cuſtochiū ait. Johānes baptiſta ſanctā ma=
trem habuit: pontificiſq; fili⁹ erat tn̄ nec ma=
tris affectu nec pr̄is opib⁹ vincebat͛ vt in do
mo parentū cū ꝑiculo viueret caſtitatis. In=
trauit itaq; Zacharias templū vt incenſum
poneret: et oīs multitudo populi erat orans
foris q2 nō erat licitū ꝑp̄lo ingredi templū ſ3
tm̄ atriū. Apparuit aūt illi angel⁹ in viſione
corꝑali dixitq; illi. ne timeas zacharia qm̄ ex
audita eſt oratio tua. Frequenter enī vt dicit
Nico. de lira deprecat⁹ fuerat deū de aduētu
meſſie ⁊ de habende ꝓle. Et iō angel⁹ vtrūq;
ſibi ꝓnunciat dicēs. Uxor tua elizabeth pa
riet tibi filiū et vocabis nomē ei⁹ Johannē:
et erit gaudiū tibi et exultatio. Gaudiū. ſ. in
mente interius: et exultatio exteri⁹: dr̄ exulta
tio q̄ſi extra ſaltatio. Et hoc ꝓprie qn̄ gaudiū
tm̄ abundat in corde qđ nō p̄t cōtineri quin
oſtendat͛ exteri⁹. Et ſequit͛ angelus: multi in
natiuitate ei⁹ gaudebūt. Erit enī magn⁹ co=
ram dño: vinū ⁊ ſicerā. i. potū inebriatiuū nō
bibet: et ſpū ſancto replebibit͛ adhuc ex vtero
matris ſue. Et multos filioꝝ iſrael cōuertet
ad dñm. i. ad xp̄m ꝑ ſuā p̄dicationē. Et ipſe
p̄cedet ante illū in ſpū et virtute Helie vt cō=
uertat corda patrū in filios. i. patrū veteris
teſtamēti ad diſcip̄los xp̄i. Quia vt dicit Ni
co. de lira. plures de ſacerdotib⁹ ⁊ ſenioribus
iudeoꝝ q̄ dicebant͛ patres ꝑp̄li ꝯuerſi fuerūt
ꝑ apoſtolos ad fidē xp̄i. Subdidit angelus
et incredulos. i. illos q̄ prius fuerāt incredu
li ad prudentiā iuſtoꝝ: que prudētia nō cōſi=
ſtit in opibus legis q̄ non iuſtificabat: ſed in
opibus fidei charitate formate. Sequit͛ an=
gelus. Parare dño plebē ꝑfectā ꝑ euāgelij ſu
ſceptionē. Scd̄m aliquos iſte angelus q̄ ap
paruit zacharie fuit: ille idē qui apparuit vir=
gini glorioſe. Sed iſtud ſtare nō p̄t ſi tenere
volumus opinionē q̄ recitata fuit in ſermo=
ne de annunciatōe virginis benedicte vbi dr̄
ꝙ angel⁹ ille fuit de ordine ſeraphin. ¶ Se=
cunda excellētia natiuitatis beati Johānis
dr̄ paterna ꝑcuſſio: vt enī cantat eccleſia. Il=
le ꝓmiſſi dubius ſupni ꝑdidit ꝓmpte modu
los loquele. Nā vt ſcribit͛ Luce. i. ca. dixit za
charias ad angeluz. vn̄ hoc ſciam? Ego enī
ſum ſenex. vxor mea ꝓceſſit in dieb⁹ ſuis. Et
reſpondēs angelus dixit ei. Ego ſum gabri
el qui aſto ante deū. et miſſus ſum loqui ad
te ⁊ hec tibi euangelizare. Et ecce eris tacens
et nō poteris loqui vſq; in die quo hec fiant
p̄ eo qđ non credidiſti verbis meis q̄ imple
buntur in tp̄e ſuo. Et erat plebs expectans
zachariam ⁊ mirabant͛ ꝙ tardaret ipe in tem
plo. Egreſſus aūt nō poterat loqui ad illos
Et cognouerūt ꝙ viſionē vidiſſet in templo
et ipe erat annuens illis ⁊ ꝑmanſit mutus.
Sed pleriq; ſcire cupiunt cur zacharias du
bitando plagam incurrit. Ad qđ rn̄dent do
ctores id factum fuiſſe multiplici de cauſa.
Primo ſm̄ Bedā quoniā diſcredendo locu
tus eſt: ideo ſilentio plectit͛: vt tacendo crede
re diſcat. Ut enim inquit Nico. de lira. Tot
ſigna veritatis cōcurrebant ꝙ zacharias nō
poterat diſcredere abſq; pctō. Quia angelus
vt p̄dictū eſt apparuit ei ī ſacro loco ⁊ exiſtēti
in miniſterio diuino. Nunciabat etiā ea que
ꝑtinēt ad ꝯmunē hoīm ſalutē ⁊ ad dei gloriā
Ex q̄bus debebat zacharie cōſtare ꝙ erat bo
nus angelus et ꝑ ꝯſequēs ꝙ erat verū dictū
eius cū mentiri nō poſſet. Secundo mutus
effectus fuit zacharias: vt maius miraculū
in natiuitate filij appareret: cū enī in natiuita
te Johānis loq̄la patri reddit͛ miraculū mi=
raculo copulat͛. Tercio ꝯgruū fuit vt zacha
rias vocem amitteret: qn̄ vox naſcebat͛ ⁊ legi
ſilentiū imponebat͛. ¶ Tercia excellētia nati
uitatis beati iohānis dr̄ miraculoſa genera
tio. Nā poſt ꝯpletos dies officij zacharie: cū
rediſſet ad domū ſuā ꝯcepit elizabeth vxor
eius ⁊ occultabat ſe menſib⁹ quinq;: q̄ vt ait
Ambroſius. Partus ſui erubeſcebat etatem
ne in ſenectute vacaſſe libidini videret͛. Cō=
ceptio aūt illa miraculoſa fuit q2 nō fuit per
naturā tm̄ vt dicit Nico. de lira. ſ3 ꝑ naturā
gr̄a diuina adiutā. Nam vt dicit͛ Luce. i. c.
Elizabeth ſterilis erat: et tā ipa q̄ȝ zacharias
ꝓceſſerāt in diebus ſuis. i. tranſierant tp̄s ge
nerandi. Ut enī inq̄t Plini⁹ li. vij. de natu=
rali hiſtoria: poſt annū quinquageſimū ceſ=
ſat fecunditas mulierū. Uir vero octogeſi=
mo anno generat: hec debēt eſſe vt in plurib⁹
nam maſſimiſſa rex numidarū poſt octogeſi
mumſextū filiū genuit. Et catho Cenſorin⁹
ex filia Salonis clientis ſui genuit cū iam
tranſiſſet octoginta annos. De Zacharia et
elizabeth cui⁹ etatis fuerint determinate nō
inuenio Tm̄ euāgelica lectio teſtat͛ ꝙ ambo
ad generandū inabiles erāt. Et de h̄ angel⁹
Gabriel dixit virgini glorioſe genitrici dei
et ſaluatoris noſtri. Ecce elizabeth cognata
tua et ipa cōcepit filiū in ſenectute ſua: et hic
menſis eſt ſext⁹ illi q̄ vocat͛ ſterilis q2 nō erit
impoſſibile apud deū omne verbū. ¶ Quar
ta excellentia natiuitatis beati Johānis di=
citur iocunda parturitio. De hac ita ſcribit
Lucas. Elizabeth impletū eſt tp̄s pariendi
ſm̄ Nico. de lira. i. nouē menſiū. Notandū
tm̄ hoc loco ꝙ vt ait ph̄us. ix. de animalib⁹.

Cunctis animalibꝰ ſtatutū eſt tempus par=
tus: muliere dūtaxat excepta ꝙ in diuerſis tē
poribus parit nā qnq̧ parit in mēſe ſeptimo
qnq̧ menſe octauo. Verū frequentior vſum
eſt humano partui nouē menſiuū natura de
dit. Quedā tñ femine decimo menſe pariūt.
Quaſdā inſup Ariſto. dicit menſe. xi. pepiſſe
Cuius ſententiā approbat Aulus gelius li.
iij. noctiū acticaꝝ dicēs. Feminā bonis atq̧
honeſtiſſimis moribus rome. xi. menſe poſt
mortē mariti pepiſſe: factūq̧ fuit iudiciū tāq̧
marito mortuo poſtea mulier ↄcepiſſet. Sꝫ
cognita cauſa diuus Adrianꝰ cenſuit. xi. mē
ſi partū poſſe edi: reqſitis veterū phoꝝ ac in=
ſigniū medicoꝝ ſententijs. Auicenna. ix. de
aialibus dicit mulierē menſe. xiij. peperiſſe.
Tñ elizabeth de qua loquimur menſe nono
cōpleto Johannē pepit. Quē vt dicunt aliq
virgo ſacratiſſima a terra leuauit. Theophi
lus tñ dicit vt refert Nico. de lira. ꝙ imminē
te ptu Elizabeth virgo receſſit: tū quia virgi
nes in partu mulierū nō ſolent adeſſe. Tum
qꝛ alie mulieres iam venerāt ad partū Eliza
beth quare obſequiū Marie nō erat ei neceſ
ſariū. Sed euāgeliſta nil de hoc ſcripſit tñ
retulit ꝙ menſe ſexto humilis virgo Maria
poſtq̧ elizabeth Johannē cōceperat viſita=
uit illā: cum qua manſit menſibus tribus ſcꝫ
vſq̧ ad tempus partus Elizabeth et reuerſa
eſt in domū ſuā. Si enim noluit ibi tempo=
re partus adeſſe: poteſt rō veriſimilis aſſigna
ri: qꝛ cum cōſuetudo ſit ad mulieres parturiē
tes pleraſq̧ alias cōuenire: virgo illa mode
ſtiſſima nolens cum tot que mundane erant
cōuerſari inde diſceſſit. Audierūt autem vi=
cini ⁊ cognati ꝙ Elizabeth peperiſſet. Et qꝛ
magnificauit dominus miſericordiā ſuā cū
illa id eſt magnā miſericordiā ei fecit auferen
do ſterilitatis obprobriū: et dando ei tantuꝫ
ac talem filiū ſic annunciatū mirabiliter et
cōceptum ſupernaturaliter. Et cōgratulabā
tur ei ſicut predixerat angelus. ¶ Quinta ex
cellentia natiuitatis beati Johannis dicit
ſancta nominatio: vt enim dicit Lucas. Die
octauo venerunt circumcidere puerū et voca
bant eū noīe patris ſui Zachariā. Et reſpō=
dens mater eius dixit. Nequaq̧: ſed vocabi
tur Johannes. Hoc aūt ſcōm Nico. de lira
fuit ſibi a deo reuelatū. quia a marito non di
dicit cum eſſet factus mutus anteq̧ rediret
ad eam de templo. Dicebant vero ſui Eliza
beth. Nemo eſt in cognatōne tua qui voce=
tur hoc nomine. Quod nō eſt intelligenduꝫ
ꝑ gente iudeorū ſed pro his qui erant de ge=
nere ſiue ſtirpe Elizabeth et Zacharie. In=
nuebant autē patri eius. ſ. per ſigna quē vel=
let vocari eū. et poſtulans pugillarē ſcripſit
dicens. Johannes eſt nomen eius id eſt hoc
nomen nō ei impono ſed impoſitū eſt a deo.
Et mirati ſunt vniuerſi ex mirabili cōueni=
entia patris et matris in noīe pueri. Apertū
eſt autem ilico os Zacharie et lingua eius et
loquebatur benedicens deū. Et factus eſt ti=
mor magnus ſuper vicinos eorum: et ſuper
oīa montana iudee diuulgabātur oīa verba
hec. Et poſuerūt omnes qui audierāt in cor
de ſuo dicētes. Quiſputas puer iſte erit? Ete
nim manus dñi erat cū illo: id eſt virtus dei
operatiua miraculorū in eius annunciatōne
cōceptione: et natiuitate oſtenſorū. Ex qui=
bus rationabiliter ↄcludebatur magnitudo
pueri futura coram deo. Et zacharias imple
tus eſt ſpiritu ſancto et ꝓphetauit benedicen=
do deum atq̧ prenunciando imminentia ſa
cramēta noſtre redemptionis: atq̧ futura ge
ſta mirandi pueri nati. Dicebat ergo: benedi
ctus dominus omniū ſcilicet per generalem
gubernetionē: deus per creationē: iſrael per
ſpecialē cultum et deuotionē et beneficioruꝫ
ſpecialiū populo iſrael exhibitionē quia vi=
ſitauit. i. viſitabit more prophetico loquitᷣ.
Hec viſitatio fuit facta in chriſti natiuitate.
que erat adhuc futura et in ſua cōuerſatione.
Et fecit redemptionē. ſ. in ſua benedicta paſ
ſione plebis ſue. Et erexit cornu ſalutis no=
bis id eſt virtutē cōſequendi ſalutem eternā
in ſua reſurrectione: quia reſurrexit ad vitā
immortalē: educens ſanctos patres de lim=
bo: et in ſua aſcenſione: quia illos ad celeſtia
introduxit. In domo dauid pueri ſui: quia
iſta adimpleuit chriſtus in carne aſſumpta
de domo Dauid. Sicut locutus eſt per os
ſanctorum qui a ſeculo ſunt ꝓphetarū eius:
quia ſic promiſerat per ꝓphetas. Salutē ex
inimicis noſtris. ſupple cōſecuti ſumus per
chriſtum. de mundo: carne: ⁊ diabolo. Et de
manu omniū qui oderūt nos. Ad faciendā
miſericordiā cum patribus noſtris: quia my
ſteriū incarnatōnis impleuit nō ꝓpter noſtrā
iuſtificationē: ſed ꝓpter ſuā miſericordiā im=
plendam quā patribus ꝓmiſit. Et memora
ri teſtamenti ſui ſancti. i. pacti firmiſſimi qḋ
habuit cū patribus veteris teſtamēti de xpo
venturo: de quo teſtamēto ad modū memo=
rantis ſeu recordantis ſe habuit quādo pa=
ctū impleuit. Juſiurandū qḋ iurauit ad abra
am patrē noſtrū daturū ſe nobis. Vt ſine ti=
more de manu inimicoꝝ noſtrorum liberati
ſeruiamꝰ illi. In ſanctitate et iuſticia coram
ipo oībus diebꝫ noſtris. Et tu puer ꝓpheta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

altiſſimi vocaberis. Nunc dirigit ſermonē
ad filiū natū. Preibis eni ante faciē dn̄i para
re vias eius. ſ. ꝑ predicationē xp̄m annunciā
do. Ad dandā ſcientiā ſalutis plebi ei⁹ in re=
miſſionē peccatoꝝ eoruꝫ. Per viſcera miſeri
cordie dei noſtri. i. ꝑ intimā ꝛ occultā dei mi
ſericordiā facta ſunt hec: in quibus viſitauit
nos oriēs ex alto. Illuminare his q̄ in tene=
bris ꝛ vmbra mortis ſedēt. i. p̄rībus i limbo
exiſtentibꝫ: ad dirigēdos pedes nr̄os in viā
pacis. O zacharia pr̄ tāti filij de q̄ tāta mira
cula oculis ꝯſpexiſti. O ſenex admodū vene
rande q̄ ꝓlē ex te genitā a deo electā nō dubi
taſti. O vir ſanctiſſime q̄ ſpm̄ ſanctū i tua mē
te ꝑ experientiā noui luminis ſuauiſſimiq̄ꝫ ſpi
ritualis geſt⁹ ſenſiſti. Et q̄s explicet iocundi
tatē ꝛ leticiā cordis tui. Quis enarrat ꝯſola
tionē aīe tue. Nō mirꝫ igit̄ ſi canticū qd̄ iā ex
poſuim⁹ deū laudādo ac bn̄dicendo cecinīſti

¶ De ſanctitate Johannis baptiſte quā de=
monſtrant quinq̄ꝫ virtutes illius p̄cipue et
ſingulariſſime. Capitulū. ij.

Secundū myſteriū cōtemplandū de Jo
hanne baptiſta dicit̄ ſanctitatis. Quā=
ta eni ſanctitate fuerit preditus colligere poſ
ſumus p̄cipue ex quinq̄ꝫ.

¶ Primo ex mundi derelictione.
¶ Scd̄o ex corpis mortificatione.
¶ Tercio ex humili cōfeſſione.
¶ Quarto ex feruēti p̄dicatione.
¶ Quinto ex martyrij toleratione.

¶ Primo apparet ſanctitas Johānis ex mū
di derelictōe. Nā ſpū ſancto afflat⁹ nō pueri
li leuitate motus in etate tenera: paterna do=
mo relicta: ad ſolitudines deſerti ſe contulit.
Quapropter eccl̄ia ipm̄ alloquēs ait. Antra
deſerti teneris ſub annis ciuiū turmas fugi
ens petiſti: ne leui ſaltē maculare vitā famine
poſſes. Manſit aūt ibi abſq̄ꝫ hoīm quorūcū
q̄ꝫ ꝯuerſatōe vſq̄ꝫ ad tp̄a ſui baptiſmi ſiue p̄di
catōnis. Nec eſt heſitandū q̄ parētes ſui paſ
ſi ſint priuari p̄ntia vnici filij: cū ſcirēt ex his
q̄ in ei⁹ cōceptione ꝛ natiuitate p̄ceſſerāt: pue
rū illū ad oīa eius geſta ꝑ ſpiritū ſanctū diri
gi et regulari. Sed circa hoc poſſet aliquis
q̄rere vtrū ſit ꝑfectior vita ſolitaria q̄ꝫ ſocia=
lis. Et quidā fortaſſe diceret q̄ ſocialis: tū qꝛ
vt ait ſapiēs Eccl̄i. iiij. ca. Meli⁹ eſt duos eē
q̄ꝫ vnū: qꝛ vnus iuuat̄ ab alio. tū qꝛ matth.
xviij. xp̄s dixit. Ubi fuerint duo vel tres in
noīe meo congregati in medio eoꝝ ſum. Tū
etiā qꝛ ſolitaria vita videt̄ eſſe cōtra naturaꝫ
hoīs. Nā vt ph̄s dicit in p̄mo pollitice. Ho
mo eſt aīal ſociale. Sed Aug⁹. in li. de operi
bus monachoꝝ: illos ſanctiores eſſe dicit q̄
a conſpectu hoīm ſepati nullius ad ſe p̄bent
acceſſum. Ad pleniorē tn̄ intelligentiā ꝛ ob=
iectoꝝ declarationē notāda ſunt verba ſancti
Tho. qui ſc̄a ſc̄e. q. clxxxviij. ar. viij. ait. q̄ ſo=
litudo nō eſt eſſentia ꝑfectionis: ſed ꝑfectōis
inſtrumentū: nō tn̄ eſt ꝯgruū actioni ſed con
templationi. Ideo nō ꝯgruit religionibꝫ q̄
ſunt ordinate ad opa vite actiue ſiue corꝑalia
ſiue ſpūalia niſi forte ad tp̄us exemplo xp̄i: q̄
vt dr̄ Luce. vi. Erat ꝑnoctans in orōne dei.
Cōpetit itaq̄ꝫ ſolitudo religionibꝫ q̄ ſunt ad
cōtemplationē ordinate. Notandū tn̄ eſt q̄
illud qd̄ eſt ſolitariū dꝫ eſſe ſibi ꝑ ſe ſufficiēs
Hoc aūt eſt cui nihil deeſt qd̄ ꝑtinet ad ratio
nē ꝑfecti. Et ideo ſolitudo cōpetit ꝯtemplan
ti q̄ iam ad ꝑfectū peruenit. Qd̄ quidē cōtin
git dupliciter. Uno mō ex ſolo diuino mu=
nere: ſicut fuit de iohāne baptiſta: q̄ vt dictū
eſt replet⁹ fuit ſpū ſancto adhuc ex vtero ma
tris ſue. Alio mō ꝑ exercitiū virtuoſi actus:
ad qd̄ exercitiū iuuatur hō ex alioꝝ ſocietate
dupliciter. Uno mō q̄ꝫtū ad intellectū vt in=
ſtruat̄ in his q̄ ſunt cōtemplanda. Un̄ Hie
ro. dicit ad ruſticuꝫ monachū. Mihi placet
vt habeas ſacrū cōtuberniū: nec ipe te doce=
as. Scd̄o q̄ꝫtū ad effectū. vt. ſ. noxie affectio
nes hoīs reprimant̄ exemplo ꝛ correptōe a=
lioꝝ: q̄re vita ſolitaria ſi debite aſſumat̄ p̄emi
net vite ſociali. Si aūt abſq̄ꝫ p̄cedenti exerci
tio talis vita aſſumat̄ eſt piculoſiſſima niſi ꝑ
diuinā gratiā ſuppleat̄ qd̄ in alijs ꝑ exerciciū
acquirit̄: ſicut ptꝫ de beatis Antonio ꝛ Be=
nedicto. Et ſic q̄ꝫuis melius ſit eſſe duos q̄ꝫ
vnū: dū vnus indiget auxilio alteri⁹: tn̄ hoc
auxilio nō indiget q̄ ſunt ꝑfectionē aſſecuti.
Sicut etiā xp̄s eſt in medio eoꝝ q̄ ſunt i ſuo
noīe congregati. ita vt dr̄. i. Jo. iiij. ca. Deus
charitas eſt et q̄ manet in charitate i deo ma=
net et deus in eo. Solitarie vero viuere pōt
dupliciter eſſe. Aut ꝓpter animi ſeuiciā ꝛ hoc
eſt beſtiale. Aut ꝓpter ꝯtemplationē: dū ali=
quis a ꝯuerſatōe alioꝝ ſepat vt liberi⁹ vacet
rebus diuinis et ſtudio ſapiētie. ꝓpterea Ari
ſto. primo pollitice dixit. q̄ ille qui alijs nō
cōmunicat eſt beſtia aut deus id eſt diuinus
vir. ¶ Scd̄o apparet ſanctitas Johānis ex
corpis mortificatōe. Nam vt ſcribit Mar=
cus. i. ca. Erat iohannes veſtitus pilis Ca=
meli ꝛ zona pellicea circa lumbos ei⁹: et locu
ſtas ꝛ mel ſilueſtre edebat. Idē habet̄ matth.
iij. ca. vbi Nicol'. de lira inq̄t. Locuſte ſunt
parua aīalia volitantia per modū ſaltus ꝛ re
periunt̄ in deſerto iudee et frixa cū oleo ſunt
cibꝫ paupeꝝ. Quidā vero putāt locuſtas hic
appellari nō animalia illa: ſed genus herbaꝝ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qđ vſui humano conuenire pt. Veſcebat̃ itaq̃ Johannes q̃cūq̃ mō locuſte accipiant̃ cibo nō lauto immo tenui et inſipido atq̃ auſtero. Sumebat etiā mel ſilueſtre qđ ſm Nicolaum de lira reperitur in truncis arborū.
Tercio apparet ſanctitas Johānis ex humili cōfeſſione. Nā qn̄ iudei miſerūt ad eum ſacerdotes ꝛ leuitas vt ſcribit̃ Johis. i. ca. vt interogarēt eū. Tu quis es? nō ſuperbe locutuſ eſt quaſi de ſeipo p̄ſumens: quinimmo humiliter reſpōdit: et cōfeſſus eſt veritatē dicens: qꝛ nō erat xp̄s: neq̃ helias in pſona: neq̃ ꝓpheta ille vicꝫ quē ipi querebāt: ſed dixit. Ego vox clamātis in deſerto: dirigite viam dn̄i. Cōgrue autē ſe vocē appellauit. Primo quia vox ordinat̃ ad verbi expreſſionē. Voces enim ſunt earū que ſunt in anima paſſionum note: vt dicit Ariſto. in primo pihermeniaꝝ. Sic Johannes exp̄ſſit verbū incarnatum. Scđo de rōne vocis eſt q̄ reſpectu verbi ſit noticia prior: origine tn̄ poſterior. Nā ſm rationē originis prius verbū cōcipit̃ q̃ vox formet̃. Johānes ergo fuit vox qꝛ reſpectu xp̄i fuit noticia prior licet eſſet et origine poſterior. Tercio vox tranſit: verbū autē manet. Johānes ergo cū dicit ſe vocē inſinuat ſe tranſiturū: xp̄m vero ꝑmanſurū. Tandē de xp̄o alta ꝓtulit: de ſe humilima cū ſubdidit. Ego baptizo in aqua. Medius aūt veſtruꝫ ſtetit quē vos neſcitis. Et đꝛ medius ſm Nicolaū de lira. i. cōiter viuens inter hoīes: quē iudei q̄tuꝫ ad diuinitatē neſciebāt. Subdidit Johānes. Ipe eſt q̇ poſt me ventur⁹ eſt. ſ. ad p̄dicandū ꝛ myſteriū redemptōis cōplendū. Qui an̄ me fact⁹ ē. i. mihi plat⁹ in dignitate cui⁹ nō ſum dignus vt ſoluā eius corrigiam calciamēti. Quarto oñdit̃ ſanctitas iohānis ex feruēti predicatōe. Nā vt đꝛ Luce. iij. ca. Factū eſt verbū dn̄i. i. diuina inſpiratio ſup iohannē Zacharie filiū in deſerto et venit in oēm regionē iordanis p̄dicās baptiſmū pnīe. Et vt ait Matth. iij. ca. Exibat ad eū hieroſolima. i. ppl̃s de hieruſalē. et accipitur hic cōtiens ꝓ cōtento. Et oīs iudea. i. multi. Et eſt hic quedā figura ſm Nico. de lira q̄ vocat̃ iperbole. i. locutio multū expreſſiua. Incohoauit aūt p̄dicationē ſuā ſicut et xp̄s dicēs. Penitentiā agite: deinde q̄ttuor p̄cepta docuit. Primū docuit phariſeos. nā vt ſcribit̃ matth. iij. c. Vidēs Johānes multos phariſeoꝝ et ſaduceoꝝ venientes ad baptiſmū ſuū: nō tn̄ credētes ſm veritatē vt dicit Nico. de lira. ſed magis ad ſimulationē et inſidiationē. Et q̄ xp̄s vt ptꝫ matth. xxi. c. querēs de baptiſmo Johānis an eſſet e celo vel ab hoīb⁹ cū nō fuiſſent phariſei auſi rn̄dere dixit. Quare nō credidiſtis ei. Idē dicit Joſeph⁹ in. xix. antiqui. li. Ipe iohannes dixit illis. ꝓgenies viperarū qꝛ venenū erroris et ipocriſis a ſuis ꝓgenitorib⁹ traxerant. Quis demonſtrabit vobis fugere a ventura ira: q̄ſi dicat. licet falſitas vr̄a lateat in cōſpectu populi: tn̄ nō poterit latere ī cōſpectu dei facite ergo fructus dignos pnīe: ꝛ ne velitis dicere intra vos patrem habem⁹ Abraā. Ut enī ait Nico. de lira. phariſei de hoc gloriabantur qꝛ de Abraā deſcenderāt. Et ideo ex ꝓmiſſione facta abrae ſine opibus ſalutē cōſequi p̄ſumebant. Et hoc eſt expreſſe falſum: qꝛ nō dicunt̃ filij abrae ex carnali ꝓpagatiōe ſed magis ex fidei imitatōe. vt đꝛ ad Ro. iiij. ca. Et ideo qꝛ phariſei et legiſpiti fidē abrae de xp̄o reſpuerūt. ideo nomē filiatōis abrae ꝑdiderūt. Et hoc eſt qđ dicit Johānes. Et ne velitis dicere intra vos ꝑ falſam. ſ. extimationē patrē habem⁹ abraā qꝛ nō eſt ſic ſm veritatē. E cōuerſo gentiles fidē xp̄i deuote ad predicationē aplõꝝ receperūt: ideo filij abrae facti ſunt. Et hoc eſt qđ ſubdidit Johānes. Dico enī vobis qm̄ potēs eſt deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios abrae. Scđm Nico. de lira tenēt aliq̄ q̄ iohānes demōſtrauit illos lapides quos filij iſrael de ꝓfundo iordanis attulerūt. vt habet̃ Joſue. iiij. ca. ī memoriā miraculi qđ dn̄s in tranſitu eorū aq̃s iordanis ſiccauit. Sed ꝑ illos lapides iohānes gentiles ſignificauit: qꝛ colebāt idola de lapidib⁹ facta. Filij ergo abrae de lapidibus ſuſcitati ſunt qn̄ iudeis ꝑ infidelitatē a filiatione abrae recedentib⁹: gētiles fidē xp̄i recipientes in locū eoꝝ ſubſtituti ſunt. Et qꝛ doctor veritatis nō ſolū debet vicia ꝯfidēter arguere ſꝫ et̄ penā p̄dicere. Jō ſubdidit iohes Jam enī ſecurꝭ. i. ſecuritas diuini iudicij poſita eſt ad radicē. Ois arbor q̄ nō facit fructū bonū: excidet̃ et in ignē mittet̃. Secundū p̄ceptū docuit turbas. nā vt ſcribit̃ Luce. iij. ca. Interrogabāt iohannē turbe q̇d eſſent facture. At ille rn̄dens dicebat. Qui hꝫ duas tunicas det vnā nō habenti. quod intelligitur ſm Nico. de lira qn̄ tunica non eſſet ſuꝑflua. Terciū p̄ceptū docuit publicanos officiales impatoris: nihil inq̇t pluſq̃ vobis cōſtitutū eſt faciatis. Hoc aūt dixit qꝛ collectores taliū ſolent eſſe ꝓni ad plus colligendū q̃ ſit eis mandatū: vt qđ ē ampli⁹ remaneat. Quartū p̄ceptū docuit milites cū dixit eis: vt ſcribit̃ Luc. iij. ca. Neminē cōcutiatis. ſ. opprimēdo pauperes et eos deſpiciēdo. neq̃ calumniā faciatis. i. non imponatis falſum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

crimen diuitib⁹ ⁊ potētib⁹ vt occaſionē extorquendi bona eoꝝ habeatis: qꝛ ꝑ aliā viā a talibus bona recipere non pn̄t. Cōtenti eſtote ſtipendijs veſtris. ¶ Quinto oſtendit̃ ſanctitas Johannis ex martyrij toleratōne. Ut enī ſcribit̃ Matth. xiiij. ca. et Marci. vi. ca. Decollatus fuit Johānes iubente Herode. Hic vt habet̃ in hiſtoria ſcolaſtica vxorē fratris ſui Philippi abſtulit: et Arethā regem: ⁊ Herodē agrippā et Philippū in ſui inimiciciā cōcitauit. Johānes ergo eū de hoc arguebat: qđ ſibi de herodi moleſtiſſimū erat et odioſum. Nā vt ait Therenti⁹. Obſequium amicos: veritas odiū parit. Et Hieronim⁹ in epl'a ad occeanū inq̇t. Ita ſe habet natura vt amara ſit veritas. Uidens itaq̃ herodes qꝛ Johannes eū tā dure redargueret. Et qꝛ ob ꝑdicationē et baptiſmū ſ̄m Joſephū magnum populū ꝯgregaret: ip̄m in carcere vinculauit in Macheronta caſtello arabie: in h̄ vxori placere cupiēs et populi ſequētis Johannē diſpendiū pertimeſcēs. Deſiderabat aūt ip̄m occidere ſed ꝓp̄l'm formidabat. Tandem excogitauit doloſe ⁊ nō ſine ꝯfabulatōe atq̃ conſilio herodiadis maligne: vt natalis ſui diē corā primis galilee ſuiſq̃ principib⁹ celebraret. Iſta enī erat ꝯſuetudo apud antiquos. ꝙ principes ſolennizabāt diē ſue natiuitatis: et diē etiā natalis imperij ſui in q̄ coronabant̃: quare Herodes ꝯuocatis magnatibus ⁊ nobilib⁹ multis: cōuiuiū illis letiſſimū atq̃ lautiſſimū preparauit atq̃ ſaltauit filia herodiadis. i. tripudiauit. Et hoc fuit ex diſpoſitōe matris et ipius Herodis: q̇ cū iuramento ꝓmiſit ei dare qđ peteret: q̄ p̄monita a matre petiuit caput Johānis baptiſte. Et cōtriſtatus eſt rex: ficte tn̄ et ſ̄m apparentiā. Nā vt inq̇t Beda. licꝫ cōtriſtaret̃ in facie letabat̃ tn̄ in corde. Simulabat aūt cōtriſtationē ꝓpter iuſiurandū qđ infringere iudicabat illicitū. Sed vt ait Ambro. li. de officijs Herodes ſaltatrici premiū turpiter ꝓmiſit: crudeliter ſoluit. nā vt refert Nicola. de lira. In ꝓmiſſione facta in generali etiā cū iuramento nō intelligit̃ aliq̇d illicitū ſub obligatione cadere: cuiuſmodi erat interfectio Johannis. Et de hoc plene habetur in decretis xxij. q. iiij. quaſi per totū. Miſſo itaq̃ herodes ſpiculatore decollauit Johannē in carcere: et allatū eſt caput ei⁹ in diſco: et datū eſt puelle: et illa tulit matri ſue. Diſcipuli aūt accipientes corp⁹ ſepelierūt illud in ſebaſte. vt ponit̃ i. xij. li. hiſtorie eccleſiaſtice. Herodias aūt caput Johānis in hieruſalē fecit deferri et iuxta herodis habitaculum caute ſepeliri.

Fuit vero Johānes decollat⁹ circa dies azimoꝝ anno precedente paſſionē xp̄i. De q̄ ſic loquit̃ Criſo. Johes ſcholaꝝ virtutū: magiſteriū vite: ſanctitatis forma: norma iuſticie: virginitatis ſpeculū: pudicitie titulus: caſtitatis exemplū: penitētie via: peccatoꝝ venia: fidei diſciplīa. Johānes maioꝛ hoīe: par angelis legis ſumma: euāgelij ſanctio: apl'oꝝ vox: ſilentiū ꝓphetarū: lucerna mūdi: p̄curſoꝛ iudicis: xp̄i mediatoꝛ: dn̄i teſtis: toti⁹ medius trinitatis. Et hic tantus dat̃ inceſtui: traditur adultere: adducit̃ ſaltatrici.

¶ De quinq̃ dignitatib⁹ q̄ oſtendūt ꝙ̄ ſublimis inter ſanctos Johānes baptiſta.

¶ Capitulū. iij.

Terciū myſteriū ꝯtemplandū de beato Johāne baptiſta dꝛ ſublimitatis. In q̄ ꝙ̄ ſublimis inter ſanctos ſit aperiemus: poſſum⁹ aūt id facile ꝯprehēdere ſi ꝯſiderare voluerimus quinq̃ illi⁹ p̄cipue dignitates.

¶ Prima dicit̃ ſanctificationis.
¶ Secunda cōmendationis.
¶ Tercia celebrationis.
¶ Quarta venerationis.
¶ Quinta glorificationis.

¶ Prima dignitas beati Johānis dꝛ ſanctificationis. Fuit quidē in vtero ſanctificat⁹. Unñ eccleſia dicit de eo illud Jere. i. ca. Ante ꝙ̄ exires de ventre ſanctificaui te. Ob iſtam ſanctificationē purgatus fuit a plaga originalis culpe: vñ ſi in vtero mr̄is deceſſiſſet ad ſinū abrae euolaſſet: cū ceteri vadāt in infernum q̇ ibi moriunt̃. Fuit inſuꝑ in vtero matris letificat⁹: cū tn̄ ceteri ibi ſint cū triſticia. Multaq̃ alia ſpiritualia dona eſt conſecutus: quare Gabriel p̄dixit patri. Spū ſancto replebit̃ adhuc ex vtero matris ſue. Secunda dignitas beati Johānis dꝛ ꝯmendatōis Quidnā certius et firmius oſtēdere pt̄ p̄eminentiā alicuius ꝙ̄ ſnīa et laus ex oꝛe diuino ꝓcedens. Turpe eſt laudari a malis viris: ꝑ quib⁹ ait Seneca in ꝓuerbijs. Tā turpe eſt laudari a turpibus ꝙ̄ ſi lauderis ob turpia. Glorioſum ergo eſt cū q̇s laudat̃ a ſapiētib⁹ a viris grauib⁹ et p̄ſtantiſſimis. Sꝫ ſuꝑ oīa grāde eſt ⁊ ineffabile donū dū q̇s extollit̃ laudibus ab oꝛe diuino. Ut enī inq̇t Hiero. in ſermone ad paulā et euſtochiū. Quicq̇d humanis dici pt̄ verbis min⁹ ē a laude dei. Ex his aūt quos de⁹ dignatus eſt ꝯmēdare, nullus tātis laudib⁹ fulget quātis Johes baptiſta. Dixit enī de⁹ Noe Geneſ. vij. ca. Te enī vidi iuſtū corā me ex oībus gentibus. Et de Dauid ps. lxxxviij. Inueni inq̇t dauid ſeruū meū oleo ſancto meo vnxi eū. Et de Job

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vt ptꝫ eiuſdē.i.ca. Nunquid ꝯſideraſti ſeruū
meū Job ꝙ nō ſit ei ſilis in terra. Et de pau
lo Act.x.c. Vas electōis eſt mihi. Et de cen
turione matth.viij.ca. Nō inueni tantā fidē
in iſrael. Et petro dixit xp̄us matth.xvi.ca.
Beat⁹ es ſimon bariona. Sed de Johāne
multo plura multaqꝫ maiora locut⁹ eſt. Nā
vt ſcribit matth.xi.ca. dixit ieſus turbis de
Johāne. Quid exiſtis in deſertū videre ⁊c̄.
vbi ꝯmendauit eū de q̄ttuor. Primo de ſoli
ditate fidei ⁊ ꝯſtantia cū dixit. Quid exiſtis ī
deſertū videre arundinē vēto agitatā. q̄ſi di
cat nō. q2 Johānes fuit ita cōpoſit⁹ ꝙ nec ti
more nec fauore a veritate decliabat. Scd̄o
cōmendauit eū ab auſtaritate pn̄ie: dū ſubdi
dit hoīem mollib⁹ veſtitū. q̄ſi dicat nō. Ter
cio cōmendauit eū a claritate noticie dū ſe
quitur ꝓphetā. Etiā dico vobis pluſq̄ꝫ ꝓphe
tam. Et d̄r pluſq̄ꝫ ꝓpheta q2 nō ſolū xp̄m p̄ui
dit venturū et p̄dixit ſicut alij ꝓphete ſꝫ etiā
ip̄m digito oſtendit. Quarto ꝯmendauit eū
ab auctoritate doctrine dicēs. Hic eſt de quo
ſcriptū eſt.ſ.ꝑ Malachiā. Ecce ego mittam
angelū meū.i. Johannē q̄ vitā duxit angeli
cam ante faciē meā: qui p̄parabit viā tuā an
te te. Amen dico vobis: inter natos mulierū
nō ſurrexit maior iohāne baptiſta. ¶ Tercia
dignitas beati Johānis d̄r celebratōis. De
ſolo nanqꝫ ieſu xp̄o et virgine matre Johan
neqꝫ baptiſta narrant̄ p̄conia natiuitat̄. Jd
circo eccleſia ſolēniter celebrat natiuitatē eo
rum. Hinc Aug⁹. in ſermone q̄ legit̄ in offi
cio p̄n̄tis ſolēnitatis ait. Poſt illū ſacroſan
ctū dn̄i natalis diē nullius hoīs natiuitatē
legim⁹ celebrari niſi ſolā Johānis baptiſte.
Jn alijs eni ſanctis ⁊ electis dei nouim⁹ diē
illū coli q̄ illos poſt ꝯſummationē laborū et
deuictū triumphatūqꝫ mundum in ꝑpetuas
eternitates p̄n̄s hec vita parturijt. Jn alijs
cōſummata vltimi diei merita celebrant̄. Jn
hoc etiā prima dies ⁊ ip̄a hoīs initia cōſecrā
tur. ¶ Quarta dignitas beati Johannis d̄r
veneratōis. Voluit nāqꝫ deus cōcurrentib⁹
miraculis plurimis reliquias corꝑis eius a
fidelib⁹ venerari. Legit̄ eni in hiſtoria eccle
ſiaſtica. ꝙ cū ad tumulū Johānis multa mi
racula fierēt: iubente Juliano apoſtata gen
tiles oſſa eius ſparſerūt. Et cū miracula nō
ceſſarēt: poſtea collecta et in igne cōcremata
in puluerē redegerūt ⁊ ꝑ agros ventilauerūt
Tandē cineres illi collecti a quibuſdā mona
chis hieroſolimā fuere delati: deinde poſt a
liqua t p̄a ianuā tranſlati vbi nūc deuote co
luntur. Sicut Alexander terci⁹: et Jnnocē
tius quartus: rei veritate cognita ſuis priui
legijs approbarūt. Caput vero ei⁹ t p̄e Mar
ciani principis inuentū eſt. Duob⁹ quidem
monachis beat⁹ Johānes caput ſuū in viſu
manifeſtauit: qui ad locū ꝓperātes vbi ſepul
tum tamdiu latuerat inuenerūt. illud ſaccis
cilicinis inuolutū: qđ poſtmodū Cōſtanti
nopolim: inde ad gallias regnāte Pipino eſt
tranſlatū. Vltimo ad vrbē deductū ⁊ in eccle
ſia ſancti Silueſtri honorifice reſeruatū. Di
gitus inſuꝑ ille q̄ dn̄m oſtēderat cōburi nō
potuit vt refert mgr̄ Johānes Beleth. qui a
fidelib⁹ ꝯſeruatus: poſtmodū a ſancta Tecla
de vltramarinis ꝑtibus in normandiā dela
tus eſt. ¶ Quinta dignitas beati Johānis
d̄r glorificatōis. Credendū quippe eſt ꝙ i ce
lo magna ſit gloria ei⁹. et ꝙ poſitus ſit in ſu
premo ordine angeloꝝ atqꝫ i ſede luciferi col
locatus. Nā illa ſedes nō fuit repata ꝑ xp̄m
q2 ſtat ad dexterā patris: nec ꝑ virginē quia
ſtat ſuꝑ choros angeloꝝ: nec ꝑ aliū ſanctum:
quia vt predictū eſt. Jnter natos mulierū nō
ſurrexit maior Johanne baptiſta. Et ſicut
magnus fuit meritis et ſanctitate: ita magn⁹
eſt gloria et felicitate. Cuius patrociniū de
uote implorantes ſperare poſſunt illius in
terceſſione conſequi in ſeculo dei gratiā et in
futuro gloriā ſempiternā. Jn qua viuit et re
gnat deus ꝑ oīa ſecula ſeculoꝝ. Amen.

¶ Sermo trigeſimuſſecund⁹ de ſancto pau lo apoſtolo doctore ſummo gentiū.

Vas electionis eſt
mihi. dn̄i nr̄i ieſu xp̄i verba ſunt
iſta originaliter Actuū.ix.ca. Ad
laudes ingentes beati apoſtoli Pauli extol
lendas hodierna die merito eſt elaborandū
Jp̄e nāqꝫ ſua eruditione mirabili: xp̄i bene
dicti nomen gentib⁹ patefecit. Jp̄e ſue cōuer
ſionis exemplo peccatorib⁹ ad penitentiā re
dire volentib⁹ ſpem de venia cōſequenda de
dit. Jp̄e vtiqꝫ verbis et factis adeo clare chri
ſtum a mortuis reſuſcitatū atqꝫ in dexteram
dei patris ſedentē oſtendit: vt nullus ampli
us niſi volēs de fide xp̄i dubitare queat. Ad
ip̄m igitur ſermonē vertamus qui prius no
minis Jeſu ardentiſſimus ꝑſecutor: ex poſt
factus eſt illius defenſor acerrimus et predi
cator eximius: in quo poſt emendatū delictū
tanta ſuperabundauit gratia vt etiam in hac
vita mortali ad viſionē diuine eſſentie rape
retur. De ip̄o piiſſimus ieſus Ananie diſci
pulo ſuo fideliſſimo retulit verba in thema
te poſita. Jn q̄bus de Paulo glorioſiſſimo
tria myſteria ꝓponimus cōtemplanda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf